

IN NOMINE JESU!  
EXERCITATIONUM METAPHYSICARUM  
SEPTIMA  
DE  
DISJUNCTIS AF-  
FECTIONIBUS ENTIS  
IN GENERE,  
*Quam*  
SUB PRÆSIDIO  
VIRI

*Præclarissimi atq; Excellentissimi*  
Dn. M. CHRISTIANI TRENTSCHII  
Logicæ & Primæ Philosophiæ Professoris Publici  
longè celeberrimi;  
Dn. Præceptoris, Hospitis ac Promotoris studio-  
rum suorum omni observantiæ & honoris cultu  
perpetim prosequendis

*Publico examini exhibet*  
M. GERHARDUS REMLINGIUS,  
Grubino-Curlandus.  
AUCTOR.

In Auditorio majori.  
*Ad diem 26 Octobris hor. matut.*

---

WITTEBERGÆ  
Literis exscribebat JOHANNES RÖHNERUS, Acad. Typog.  
M DC LIII.

Coll. diss. A  
123, 4

5

46

a. CX+III. 7.

IN ANNO 1751  
LITTONOMI METASTRECARUM  
SERVATA  
HISTORIA  
RECONDITA  
1751  
Dr. M. CARLSTADT  
Prof. Publicus  
Dr. P. ...  
... ..



M. CARLSTADT  
... ..  
... ..  
... ..  
... ..  
... ..  
... ..  
... ..  
... ..  
... ..  
... ..  
... ..  
... ..



## PRÆLOQUIUM.



Emel ex fumosâ Urbe in nemora deductus, amœnitate loci captus sæpè reverti gaudet. Non aliter nobis semel in speciosissimum Metaphysicæ campum prolapsis, evenire videmus. Nec iniquè. Dum alij per sentes & spinas, per inhospita tesqua viarum vagantur, damnantes id quod non intelligunt; nos blanditiæ & jucunditate Metaphysicæ allecti, in pratum ejus viridissimum rursum descendere invitamur. Postquàm autem præcedente Disputatione affectionum unitarum ultimam vidimus, ratio ordinis ad disjunctas ut progrediamur, monere videtur. Verum enim verò non abs re facturi nobis visi sumus, si ad meliorem intelligentiam ipsarum in specie affectionum in cæteris sublequenturis, collegij hujus Metaph. disputationibus membratim proponendarum, *συναγωγίαν* hac disputatione exhibeamus; pictores hac in parte imitati, quos videmus cerulsâ prius atq; carbone corpus aliquod ruditer adumbrare, quam ad singula membra decentibus coloribus exprimenda, ordine progrediantur. Sit itaque, quod benè sit.

## THEOREMA I.

Affectiones Entis ut unitæ, ita & disjunctæ simplicitati entis ipsius nihil derogant.

§. 1. Communis ac trita est affectionum entis *in unitas & disjunctas* divisio: Quam utut à *Scotistis* primò inventam, nihilominus tamen retinendam esse censent cum *Dn. Cornel. Martin.* in *compend. Metaphys.* p. m. 31. Omnes tam antiquiores, quam recentiores Scriptores Metaphysici. Illas hætenus partim in genere, partim singulas in specie perlustravimus. Ulterius jam ad *disjunctas* gressum *συν χερισω* facimus, easque non aliter ac priores simplicitati entis non obstare asserimus. Notum verò est ex scholis Metaphysicorum, quod Ens transcendente sit simplicissimum, & omnis expers compositionis. Hinc dubium alicui moveri posset, quod Enti simplicissimo affectiones assignentur, cum verisimile sit, affectiones sive *πείθη* subjectum suum compositionis arguere; qui tamen scrupulus nullo negotio eximitur, si adhibeantur istæ Metaphysicorum cautiones & distinctiones inter affectiones *Physicas & Metaphysicas*, strictè & latè sic dictas. Undò sic inquiunt Authores: *Ens non habet affectiones exquisitissimè dictas*; *D. Finck. Disp. Metaph. 3. quæst 2 pag. 78.* Affectiones exquisitè & propriissimè dictæ realiter differunt à suo subjecto, neq; possunt cum eo reciprocari; at quæ in *Metaphysicis* proponuntur, à subjecto realiter non differunt, & possunt, imò etiam debent cum eodem reciprocari. *D. Thom. Sagittar. lib. 1. Metaph. cap. 6. § 5. p. m 86, & 87.* *Attributa Entis non sunt affectiones entis in rigore, & secundum univocationem dictæ sed κατ' ἀναλογία, quia ad modum affectionum concipiuntur.* *D. Jacob. Martin. partit. Metaphys. sect. 3. lib. 1. §. 2. p. 114* *D. Scharff. Theor. Transcend. disp. 6. thes. 9. ii.* Proindè simplicitati entis nec quicquam detrahere possunt.

§. 2. Nascuntur enim istæ affectiones ex ipso ente. Hinc quia extrinsecus illud non afficiunt, sed ex ipsà simplici entis naturà promanant, nullam enti compositionem addere queunt sed quale Ens est, tale relinquunt. Quicquid igitur ex ipso  
sub.

subje cto provenit, non potest illud componere. Affectiones  
entis ex ipso ente proveniunt. E. Major certa est, quia quicquid  
alteri compositionem infert, extrinsecus accedere debet, nul-  
lam autem intrinsecum, & quod de essentia subjecti est, illud  
componere potest. *Ad compositionem requiritur, ut partium  
componentium una sit extra alteram; Dn. D. Calov. Metaphys.  
div. cap. 17. porism. 4. p. m. 559.* Hinc etiam compositum quod ex  
diversis naturis est concretum, ab Authoribus describi solet. *D.  
Finck. disp. Metaph. 9. Thes. 3. pag. 181.* Jam verò de affectionibus  
hiscè dici non potest, quod extrinsecè Ens afficiant, cum omni-  
nò ex ipsà entis naturâ profluant, ipsiq; enti originem debeant.  
Manet itaq; disjunctas affectiones entis simplicitati nihil dero-  
gare posse.

§. 3. Neque etiam diversæ sunt ab ente, sed maximè cum  
eo conjunctæ, & idem quod Ens. Quicquid igitur est idem  
cum ente, nec diverium ab illo, non potest ens componere,  
quia nihil seipsum potest componere: Affectiones hæ sunt idem  
cum ente. E. Minor liquet, quia affectiones tam unitæ quàm  
disjunctæ non nisi mentaliter ab ente distingvi & discerni pos-  
sunt, ac proindè seipsâ idem sunt cum ente; quicquid tandem  
etiam oggiant *Scotistæ*, quorum argumenta nostræ sententiæ  
opposita *Suarez* & *Mendoza* profligarunt; citantè *Dn. Sthal.  
compend. Metaphys. cap. 4. conclus. 4. p. m. 40.* Adducere hic pos-  
sumus Authores, qui velut agmine facto à nostris stant partibus.  
*Affectio propria quasi idem est cum subjecto, inquit Scalig. exerci-  
tat. 3. sect. 6. Affectiones entis non differunt realiter ab ente, sed  
duntaxat ex naturâ rei, seu formaliter; Dn. D. Scharff. Theor.  
Transc. disp. 6. p. 272. Optimè, verba sunt Suarezij disp. Metaph. 3.  
sect. 1. num. 6. quem citat M. Spengler Exercit. Metaph. 3. artic. 3.  
quest. 3. pag. 83. ser. potest, ut attributa entis sint realia, quamvis  
non re, sed ratione distinguantur: Et ratio est clara, quia distin-  
ctio, quæ oritur ex præcisione intellectus, non est per conceptionem  
alicujus fictæ entitatis, quæ non sit in re, sed per modum solum adæ-  
quatum concipiendi veram rem: potest ergò attributum esse reale,  
quâvis modus attributionis & distinctionis sit solum per rationem.*  
Quod jam nominati hi Authores de affectionibus promiscue,

id nobiscum de *disjunctis affectionibus entis* pl. Reverend. & Excellentiss. Dn. D. Calovius in *Metaphys. div. class. 2. subject. 1. cap. 9. p. m. 418.* clarè innuit, dicens; *Membra verè ista* (scil. disjunctarum affectionum) *ut affectiones unitæ, haut inferunt aliquid ab ente realiter diversum, vel simpliciter à mente confictum, sed quod vere & realiter ipsi competat Enti, verum non nisi sub formali diversitate ab Ente.* Hactenus ipsa verba Authorum, uno ore testantium, affectiones entis non nisi *discrimine rationis* ab ente distingvi, in re ipsâ verò idem esse ac ipsum Ens. Quia ergò affectiones hæc tam arctissimo vinculo cum ente sunt unitæ, quî illud componere poterunt? quî simplicitati ipsius oberunt? *Ens ita determinant,* ait de his quoque affectionibus Clariss. Dn. M. Eislerus, in *opuscul. de primord. philos. contract. subs. 1. cap. 4 pag. 239.* *ut tamen non componant, quia præter Ens, nullam ipsis entitatem aliam cogitare fas est, quæ compositionem pariat; proindeque non componunt, sed afficiunt, & distingvunt Ens, neq; faciunt, ut Ens sit quidpiam aliud à se, sed ut sit vel aliter affectum, vel ad aliud.*

## THEOR. II.

**Disjunctæ entis affectiones sunt cōceptus communissimi, Ens propriè afficientes, & disjunctivè, seu cum oppositi illatione, transcendentaliter denominantes.**

§. I. Notandum est, quòd *disjunctæ affectiones* eo nomine veniant, non quòd realiter disjunctæ & separatæ sint ab ipso ente, quandoquidem ex antea dictis, etiam has affectiones arctissimè cum ente cohærere, nec nisi ratione divelli posse percepimus: Sed (1) *ratione affectionum unitarum,* quæ simpliciter ac unitè de ente dicuntur, & cum eo, convertuntur, ut dicere queam; *omne ens est unum, verum, bonum; & unum, verum, bonum est ens.* Proindè has, quia illis sunt oppositæ, non unito, sed disjunctivo modo de ente prædicari oportet. (2) *ratione ipsius*

*ipſius entis*: neque enim illud ſimpliciter ac unitè ut de ſe dicantur, patitur. Nullum n. ens ſimul, eadem ſcil. ratione reſpectu, & tempore, principium, & principatum, cauſa & cauſatum; ſed vel principium, vel principiatum, cauſa vel cauſatum eſt. Proinde entis natura & ratio non fert, ut unitè, quia implicent cōtrarietatem & contradictionem, de ſe dicantur, cum aliàs notum ſit, *quod contraria non poſſint ſimul eſſe in uno eodemq; ſubjecto.* (3) *ratione ſuorum membrorum.* Unitæ unitim de ente dicuntur; & ut *Rutgerſius* habet; *ſolitarie ſumpta totum ens exequant.* *lib. 1. inſtit. Metaph. cap. 3 p. m. 12.* quia quælibet unus tantummodo conceptus eſt, conſiſtens in ſimplici entis modificatione: Disjunctæ verò diſjunctim; idq; ratione membrorum, invicem ſibi oppoſitorum. Maxima enim diſjunctio & discrepantia eſt inter affectionum harum membra, realiter ab invicem diſtincta & oppoſita. *Plur. Reverend. & Excell. Dn. D. Calovius in Metaphyſ. divin. claſſ. 2. ſubſect. 1. cap. 9. pōriſm. 1. p. m. 421.* cum principio ſubdubitaret, *an diſjunctarum harum affectionum membrum unum in oppoſitione ſeu mutuâ xēſes ab altero differat realiter*; tandem tamen ita ſubjungit: *Quicquid de eo ſit, id tamen extra controverſiam eſt, quod dentur modi oppoſiti, qui in ente unum quidem ſint realiter, attamen à ſe invicem diſtinguantur realiter.* Ita huic ſententiæ ſubſcribit *Dn. Lic. From.* qui hæc in *Exercit. Metaph. diſp. 14. quæſt. 2. pag. 213.* habet verba: *Multa dantur exempla, quibus hanc aſſertionem ſtabilire poſſumus: independens & dependens realiter differunt, quia ſubjecto realiter differunt, Deus enim eſt independens; Creatura dependens; &c.*

§. 2. Dicuntur prætereà hæ ipſæ affectiones *conceptus communiffimi.* Definiunt has affectiones alij per *paſſiones*, propterea, ut hoc nomine innuatur, *attributa non eſſe formaliter ipſum ens, ſed aliquid entis, quia fieri non poteſt, ut ſubjectum & paſſio demonſtrabilis prorsus identificentur: M. Eiſt. in primord. Philoſ. contr. p. 225.* Alijs placet eas per *attributa* definire, ut *Spenglerus* in *Exercit. Metaphyſ. diſp. 3. artic. 1. §. 1.* Nobis ſalvo aliorum iudicio, placet *conceptus communiffimos* harum quoque affectionum diſjunctarum genus quale terminis transcendentalibus

con-

convenit, optimum esse asferere. Quo quidem nomine non intelligimus primum illum conceptum entitativum, quo primum ens simpliciter concipimus; ast alios ex hoc primo conceptu scaturientes, seu conceptus secundarios, qui dicuntur proprio & genuino nomine affectiones sive attributa entis communissima & universalissima. Consentit tandem etiam *Eislerus* loco citat. p. 225. inquit; *Quibusdam conceptus placet, scilicet objectivus: sunt enim affectiones entis conceptus transcendentis secundarij: primum est ipsum Ens, ex quo secundum cognoscendi rationem nostram illi velut ex radice germinant.* Nec non *Dr. Stabl.* in *Compend. Metaphys.* pag. m. 35. & alij. Differentia à proprietatibus & conditionibus harum affectionum depromitur: de quibus Theorem. seq.

## THEOR. II

**Præcipuæ disjunctarum affectionum entis proprietates sunt: 1. Propinquitas cum Ente. 2. Universalitas 3. & disjunctio.**

*§. 1.* Communium affectionum requisita magno cumulo alias recensere solent *Metaphysici*. Vid. *Scheibl. lib. 1. Metaphys. cap. 3. artic. 3. pag. m. 229, 230, 231, & seq. M. Eislerum in primord. Phil. contr. pag. 229, & seq.* Et præter plures alios, *Collegij hujus Metaphysici disp. 3. Theorem. 3. §. 2. & seq.* Quibus relictis, præcipuas, & disjunctis affectionibus maximè propinquas conditiones, requisita, & proprietates, quibus earum naturam & indagamus & probamus, recensere animus est. Earum itaq; prima est *Propinquitas cum Ente*. Quamvis enim audiant *disjunctæ* affectiones, non tamen sunt à naturâ entis alienæ & sejunctæ sed maximè propinquæ, ac intimè cum ipso unita, Indè emergit illa convertibilitas cum ente, ut propter illam summam, quam alunt cognationem, cum ipso ente reciprocari ac converti possint; sed non simpliciter & unitè, verum disjunctè, ut: *Ens est principium vel principiatum, & vicissim; principium vel*



3. *quæst. 3. Jacob. Mart. exerc. Met. 3. lib. 7.* ( $\beta$ ) inferunt: Potentia activa & passiva conveniunt tantum in rebus productis & actu existentibus. Objectiva tantum existere possibilibus. E contra disting: illis duabus speciebus ideoq; tertium constituit membrum divisionis potentiarum. Resp. Potentia objectiva nulla planè est potentia, nullum fundamentum in rebus habens, sed meram denotans repugnantiam. E, neq; hoc gradu novum potentiarum genus constituere debet. Habemus consentientes Zaberell. *lib. 2. Metaph. prim. c. 2. pag. 179. Jacob. Mart. l. 1. exerc. Metaph. 3. lib. 7. Excell. Dn. D. Calov Met. c. 13. in annot. ad theor. 1. sub. fin.* ( $\gamma$ ) latiore hanc divisionem suo diviso exinde arguunt quod illa etiam impotentia, quod tamen opponitur potentia, competat. Nam Arist. ei actionem attribuit l. *categ. c. 8. parag. 7.* Resp. Arist. hic loquitur de impotentia non negative sed privative sumptâ hoc est quæ cum deminutione & in agendo aut patiendi imbellicitate ac debilitate sumitur, non autem ea, quæ omnem vim agendi aut patiendi negat. Illa enim ut nuda negatio est ita neq; vel activa vel passiva dici meretur. Hæc autem pro rerum diversitate nunc est activa, nunc passiva. Ut autem bene & non bene, posse agere vel pati, gradus saltem sunt, ita novam potentiarum speciem constituere minimè possunt. ( $\delta$ ) Male etiam hæc divisio de potentiis prædicamentalis tantum explicatur. Nam etiam Arist. *cit. l. 9. c. 20.* habitus vocat potentias, quæ tamen in prædicamento qualiratis diversas constituunt species. Atq; hæc de adæquatione hujus divisionis sufficiant, 2. Definitiones Potentiæ utriusq; datas in Th. quæ cum Excell. Dn. D. Scharff. atq; Calov. ferè coincidunt, aut planè idem sunt, amplectimur potius quàm Aristotelicas quod commodius cujuscunq; generis potentiis tribui queant, quam illæ. Videtur Arist. saltem potentias cum motu stantes descripsisse, neglectis divinis, iisq; quæ ad actus immanentes sunt. Quando igitur eas vocamus facultates, statuimus eas esse principia agendi aut patiendi prima immediata, non extrinsecus advenientia sed in ipsa essentia radicata. Nunc ad 3. pergimus, Sunt igitur subjecta utriusq; creatoræ,  
B
Deus

Deus activæ tantùm, non passivæ. Posterius ita probamus:  
1. Potentia passiva universaliter imperfecta est, quod enim  
quis patitur, illud fit secundùm imperfectionem. Si igitur  
in Deo competeret Potentia passiva, tunc id fieret, ita ut vel con-  
uncta esset actui, atq; tum perfici indigeret ab alio: vel ab  
actu separata, atq; hoc itidem imperfectionis est; imperfectionis  
autem Deum arguere impietatis est. 2. Si potentia passiva in Deo  
esset, tenderet illa vel in melius vel in deterius. Omnis enim po-  
tentia est propter aliquem finem. Sed non hoc, est enim Deus  
incorruptibilis; necq; illud quod jam omnem perfectionem  
possidet. E. 3. Activa vero potentia Deo competit, quia  
illa simpliciter perfectionem & Excellentiam importat. Sed  
occurrant tali argumento: Quod à potentia incitatur ad  
actum involvit imperfectionem, quia agere perfectius quid  
est, quam posse agere. Atq; hoc fit in potentia activa E. R.  
Major valet saltem de ea potentiâ, quæ in actum deducitur,  
cum motu & transmutatione. Deus autem citra motum a-  
git. Ex dictis igitur intelligitur potentiam activam in Spe-  
cie dividi in Finitam & infinitam. Illa creaturarum propria  
est; Hæc soli Deo competit, & quidem propter simplicissimam  
Essentiam divinam semper, qua est infinita, una & simplex,  
libera ab omni coarctatione & violentiâ, atq; pro lubitu a-  
gere potest, quæcunq; non implicant contradictionem. Af-  
fectiones enim naturam rerum sequuntur. Omnia autem  
ab una proficiscuntur virtute, quæ propter diversum respe-  
ctum, sub quo à nobis consideratur, dividitur in Ordinariam  
& Absolutam. Ordinaria est quâ Deus vel agit vel agere  
potest, secundùm determinationem ad aliquod attributum  
seu alligationem ad causas secundas sc: in hæc potentia in  
certum actum deducendâ Deus observat ordinem à semetipso  
determinatum. Absoluta est qua Deus omnia potest quæ  
absolutè sunt possibile & contradictionem non implicant  
etsi nunquam illa velit, aut velle etiam possit propter po-  
tentia suæ perfectionem & infinitatem. Dicitur alias omni-  
potentia, & pro objecto habet omne possibile, hoc est omne  
illud, quod non involvit aliquam repugnantiam ad esse. Ut  
igitur

igitur dignoscere possis genuinum potentia divinae objectum  
a spurio, nota; omnem contradictionem & repugnantiam  
ob quam aliquid fieri non potest, resultare ex defectu possi-  
bilitatis vel ex parte (a) Efficientis, quando nempe productio  
talis effectus pugnat cum essentia ac natura ejus de quo  
quaeritur, an producere hoc vel illud possit. Sic v.g. Ange-  
lus cum sit potentia finita, non potest creare mundum, quod  
requirit potentiam infinitam. Hic igitur impossibilitas non  
est in objecto sed in efficiente (b) Objecti quoniam nempe  
per objecti naturam hic vel ille effectus a causa produci ne-  
quit, qui tamen in alio ab eadem produci potuisset. Sic De-  
us sibi mortem consciscere atq; corruptionem suae essentiae  
inducere nequit, quod tamen in homine potest. (c) utriusq;  
tam efficientis quam objecti, quando nimirum id, quod ef-  
ficiendum erat, pugnat cum natura tum efficientis quam  
etiam objecti. Ubicunq; igitur unus al quis horum defe-  
ctuum adest, ibi spurium est potentia divinae objectum. Non  
ergo in Deo negari potest omnipotentia, quia non potest  
mentiri, peccare, mori, quae omnia ejus potentiam, non im-  
potentiam arguunt, si enim haec posset immutabilis non fo-  
ret, adeoq; impotens conservare in eodem statu Essentiam  
suam, quando igitur dicitur Deum non posse mentiri, mo-  
ri peccare, removentur a Deo potentia passiva, adeoq; o-  
mnis imperfectio, quod sc: non possit non esse verax, bonus,  
incorruptibilis. Neq; etiam ideò non omnipotens dici me-  
retur Deus, quod non possit facta infecta reddere, suscitare  
virginem post ruinam, illa enim impotentia in rebus ipsis  
est, non in Deo ut recte statuat Thom: enim part: q. 25. art: 2.  
rectius dici; contradictoria non posse fieri, quam Deum non  
posse facere contradictoria. Est autem Deus omnipotens,  
non relativè, sed absolutè. Neq; enim omnipotens  
dicitur, quia praestare potest omnia, quae creaturis possibile  
sunt, namq; divina potentia ad plura se extendit: neq; quia  
potest ea, quae possibile sunt potentia suae; hoc enim pri-  
mò ludus esset in verbis: dicendo namq; Deus est omnipo-  
tens, quia potest omnia, quae possibile sunt potentia suae,  
apertam ταυτολογίαῖν committes; idem enim erit ac si di-  
cas:

cas:

cas: Deus est omnipotens, quia potest omnia quæ potest. Deinde  
hæc ratio quævis animalia, etiam minutissima affirmabis esse  
omnipotentia cum quodvis horum sibi possibles producat ef-  
fectus. Absolutè igitur Deus dicendus est omnipotens, quia  
omnia illa quæ absolutè possibilia sunt. h. e. quæ omnem con-  
tradictionem & repugnantiam adesse excludunt, potis est ef-  
ficere; Hinc nunc accuratè notandum venit; Ad veram con-  
tradictionem in adjecto lignandam, non sufficere quamcun-  
que terminorum combinationem aut disjunctionem, sed ut  
verè Ens opponatur non Enti, ideoq; insuper requiritur ex-  
acta terminorum penetratio, quam quia perquam rarò asse-  
qui licet, sæpius videntur contradictoria, cum nihil minus  
sint quàm contradictoria. Sic esse locale & esse omni præ-  
sens videntur contradictoria, cum tamen sint subordinata.  
Neq; enim Ens hic opponitur non Enti, sed Enti, siquidem  
non minus omni præsentia Ens est, quam præsentia s. existen-  
tia in loco. Sic mortales immortalitate donare, nullam im-  
plicat contradictoriam ut nec illud: Defunctos in vitam re-  
dire posse & plura alia. Cavendum igitur (Monente Exc:  
Dn. D. Calov. in Metaph: div: c 13. προίσιμ: 5. ne judicetur sta-  
tim impossibile, quod intellectus apprehendere nequit  
pag. 456. dividitur i. in Rationalem & Irratio-  
nalem. Illa quæ indifferenter, ad utramq; contradictionis  
partem se habet. Hæc sc: irrationalis quæ secundum Arist.  
lib. 9. Metaph. c. 2. una unius & simpliciter talis nec per essen-  
tiam nec per participationem rationis capax est. Dicitur a-  
lias naturalis non quod principiis naturalibus subje-  
cto suo conveniat, ac per solas vires naturales in actum de-  
duci possit, eo namq; respectu, utraq; tam rationalis quam  
irrationalis naturalis dici potest: Sed natura hic opponitur  
libero, seu ei, quod determinatum est ad utrumq; contrario-  
rum; diciturq; ideo naturalis quia ad unum oppositorum  
sit accommodata & determinata. Natura siquidem est ali-  
quid uniforme, semper optimum intendens ac p. oinde rem  
ipsam non ejus defectum aut privationem producit, adeoq;  
unum tantum effectum intendit: Ratio contra plura subit.  
Atq;

Atq; hinc facile patet quid per rationalem intellectum velimus, nempe illam, quæ est contrariorum, h.e. ad utramq; partem contradictionis indeterminata & indifferentis, quæq; positis omnibus ad agendum requisitis, etiamnum actionem suspendere potest. Rationale enim (quam distinctionem etiam Scheibl. annotavit in opere Metaph: lib: 1. c. 14. num. 55.) hic non sumitur respectively vel pro imperfectionis importatione, pro eo scil: quod discurret, & in discurrendo ratiocinatur. Sed simpliciter & quatenus ab omni imperfectione abstrahit, ut sit rationale quicquid intelligit, sive illud fiat cum discursu, sive cum simplici apprehensione nudè eliciatur aliquis actus. Ex his nunc colligere est hujus divisionis objectum, non tantum finitam esse potentiam, utpote Angelorum & hominum; sed etiam infinitam, ipsius Dei. Neq; enim quicquam est quod impediatur, quo minus sine omni religionis & pietatis labe ei applicari possit, Observari hoc loco etiam potest, quod alii utramq; divisionis partem Deo applicent, dicantq; potentias Dei essentielles esse rationales, sive istæ sint internæ sive externæ; Quam litem tamen non facimus nostram. Nobis certum est Potentias Dei esse liberas, adeoq; dici posse rationales; Rationale enim & liberum nobis hoc in loco idem sunt, ut patet ex dictis. Indeterminatam deniq; & indifferentem, cum nominamus, intelligimus istam indifferentiam (a) tam quoad actûs exercitium quæ dicitur indifferentia contradictionis, quâ quid indifferenter se habet ad agere & non agere; quam quod actûs significationem, quæ vocatur indifferentia contrarietatis, quâ quid indifferentis est ad agere hoc & agere illud. (b) de eodem numero objecto, non autem de diversis (c) ratione illarum actionum, ad quas potentia influit per se, & non per accidens (d) Non ratione oppositorum simul agendorum sed ratione unius ex oppositis indeterminate agendi, quod possit æq; hoc quam illud agere. Ita igitur distinguuntur potentia rationalis & irrationalis, quod hæc representato objecto non potest non agere; illa potest & agere & non agere, si nempe omnia ad agendum ponantur requisita, quorum præcipua numerantur

merantur sequentia: (1.) virtutis ad agendum sufficientia (2.) in subjecto passionis capacitas (3.) conveniens agentis ad patens, & hujus ad illud approximatio, (4.) omnis impedimenti remotio. Utraque tam activa quam passiva dividitur in Naturalem & obedientialem. Impugnant hanc divisionem (2.) alii arguendo nimiam illius latitudinem, hoc argumento: potentia obedientialis est potentia non nisi æquivoce, ideoque una cum objectivâ e numero potentiarum exterminanda. Resp. plurimum est discriminis inter potentiam objectivam & obedientialem, illa omnem negat Entitatem; hæc sine illa (taquam præexistente subjecto) ne cogitari quidem potest: illa simplicem repugnantiam ad existendum dicit, neque in illo datur subjecto: hæc & repugnantiam istam excludit & est aptitudo quædam in ipso subjecto, in quo existit producta ad patiendum, simul enim cum existentiâ subjecti & cæteris paribus vis ista s. aptitudo ad recipiendam actionem efficientis existit. (3.) Alii negant hanc divisionem esse divisionem communem activæ & passivæ potentiæ, eamque subdivisionem potentiæ passivæ faciunt, verum negari non potest dari potentiam activam naturalem, quod etiam ex sequentibus magis patebit. E. & dabitur obedientialis, quia hæc sibi invicem contradistingvuntur. Confer etiam Scheibl: l. i. Metaph: c. 14. 18. & seqq. Tandem id probant exempla. Apostoli miracula patrarunt & morbos non curabiles sanarunt, non ex potentia sua naturali, quod nempe vis quædam occulta in verbis illorum latuerit, sed potentia obedientiali, quæ fuit in morbis ad obediendum Christo. Vid. Spengl. Exerc: Metaph: 6 q; 5. 6. 7. Est autem Naturalis potentia activa aptitudo ad aliquid agendum cum generali Dei concursu. Passiva ad patiendum. Hæc si actuantur, & agens & patiens est res purè naturalis, quæ ex viribus naturæ agit aut patitur. Obedientialis activa est, quæ aliquid aptum est per influxum divinum specialem ad aliquid prævia passione agendum. Passiva ad patiendum. Differunt in hoc, quod illa per concursum generalem; hæc vero per specialem actuatur. Illa insit creaturis, prout in se agunt

agunt & patiuntur; hæc quatenus potentia divina subja-  
cent: illa perficitur ab agente actuali; hæc à principio in-  
tellectuali, Deo, Angelo, Homine.

## THEOR. IV.

Actus est affectio Entis disjuncta imme-  
diata, qua Ens denominatur complere poten-  
tiam.

Vocabulum Actus sumitur dupliciter; vel Absolutè  
atque tum denotat Ens, quod extra causas positum non  
actuatur, aut perficitur ab alio tanquam potentia: vel Re-  
spectivè & significat complementum potentia. Hæc omni-  
nò accommodatior nobis videtur in præsentia adhibenda ne-  
gotio, præsertim, cum Actus & potentia hîc considerentur, non  
absolute, sed respectivè prout nempe eum respectu ad se in-  
vicem sumuntur. Traduntur enim ut opposita Entis affe-  
ctiones, quarum una sine alterius mentione vix sufficienter  
intelligi potest. Hoc saltem monendum videtur; comple-  
mentum illud potentia contingere posse citra ullam acce-  
dentem perfectionem ei, cujus potentia erat. In humanis  
quidem perfectior evadit is, in quo completur & perficitur  
potentia, per actionem illius; in divinis minime. Dicis:  
Quicquid completur, illud per accessionem alicujus rei, per-  
fectiorem Entis statum acquirit. Atqui potentia divina di-  
cuntur compleri per actum. E. & illa mutantur & perfe-  
ctiores redduntur. R. De potentiis quarum actiones fiunt  
cum motu illud verum quidem esse. At actiones divina non  
fiunt cum motu, sed sola cognitione, nutu, verbo &c: De-  
nominatur igitur potentia simplicissima essentia divina per  
actuale exercitium completa, absq; ulla mutatione, novæ  
perfectionis accessione aut melioratione.

THEOR.

## THEOR. III

Actus est purus vel impurus. Ille est qui excludit potentiam passivam: Hic qui propter materiae admixtionem admixtas etiam habet potentias passivas.

Divisio ista desumpta est ex diversis existendi modis, Sicut enim aliud existit modo simplicissimo ab omni admixtione vel formae vel materiae secluso; aliud sine materia sola formâ; aliud formâ quidem cum respectu tamen ad materiam, aliud deniq; modo existendi maximè imbecillò, ita etiam actus dividitur *Impurum*, qui talis vel simpliciter omnem sc. potentiam passivam excludit. Sic solus Deus dicitur actus purus in quo negatur omnis potentia non activa sed passiva ut patet ex inductione potentiarum apud Scheibl. *in Op. Metaph. l. 1. c. 13. num. 35 & seqq.* vel secundum quid, qui licet non omnis potentiae passivae expertus sit, materialis tamen nihil habet, ideoq; non tam multiplicibus subjacet potentiis passivis, quam id cum quo comparatur: Atq; hinc incomparatione, cum eò, qui simpliciter ita dicitur, etiam impurus dici solet. Hujus actus exempla sunt Angeli. *Et impurum*, idq; iterum vel secundum quid vel simpliciter. Hic est, qualis competit materiae simplicissimae (quae ideo Arist. dicitur potentia pure passiva) & propter hanc maximè compositis convenit: Ille minus impurus est, si huic comparetur; magis si puro vel minus saltem impuro convenit. Videtur autem haec divisio nulla esse, quia non datur actus purus, quem nos descripsimus, quod etiam in Deum cadat quaedam potentia passiva, potest enim cognosci, potest laudari, potest actuari, potest ad iram & miseriam commoveri, quae nihil aliud quam passiones designant. Verum enim verò sciendum istas passiones non esse in subjecto, quod ab eis denominatur, sed esse planè extrinsecas, nihil subjecto addentes, neq; potentiam ullam passivam in eo praesupponentes, adeoq; saltem extrinsecè id denominantes.

THEOR.



## THEOR. VI

Actus distinguuntur. 1. In Entitativum & Formalem. 2. in Essentia & Existentia. 3. in signatum & Exercitum. 4. In primum & secundum.

Hæ distinctiones à variis pro divisionibus Actus venditantur, cum tamen distinctiones potius nominales quam reales censendæ sint, quod ex singularium accuratiori consideratione patebit. Nam

1. Actus Entitativus & Formalis opponuntur potentiaæ objectivæ, quæ cum non sit realis, neq; isti censendi sunt reales sed sunt saltem Entis Essentia & Existentiæ Synonyma, adeoq; propriè unus tantum actus, qui pro ratione determinationis ad subjecta per principium existentiaæ internum variantia duplicem admittit denominationem, diciturq; Entitativus, prout res extra nihilum posita, existit per simplicem suam essentiam ut Deus, Angeli, Formæ &c. Formalis prout res per formam suam existit, ut sunt omnia corpora naturalia.

2. Actus essentiaæ est ipsa actualis rei essentia, juxta quam in esse proprio constituitur, præciso ultimo subsistendi modo. Actus subsistentiaæ est ultimus modus quo res per se subsistit neq; alteri inhæret. Hic substantiarum proprius est, ille Accidentibus & substantiis communis. Et videtur quidem hæc divisio coincidere cum priori, atq; in eo tantum distingvi, quod nomina secundum diversos respectus sumantur & priora quidem respectu diversorum principiorum, quibus existunt res; posteriora verò à diverso existendi modo deducta sint. Sic enim aliter existunt substantiaæ, aliter accidentia: hæc existunt in subjecto; illæ per se existunt, idq; vel in subsistentia propria vel communicata.

C

3. Actus

3. Actus signatus est, quando res considerantur prout in universali esse concipiuntur. Exercitus autem quando res considerantur, quatenus certæ alicui materiæ applicatæ sunt. Sic Metaphysica agit de causis in actu signato; Cœteræ disciplinæ, ut physica, Mathematica &c: in actu exercito, quatenus nempe huic vel illi materiæ applicantur. Sic logica agit de definitione, divisione in actu signato, quatenus sc: definiuntur, dividuntur, certisq; legibus determinantur: Physica de iisdem, sed in actu signato quatenus nempe corporibus naturalibus applicantur: Ethica itidem quatenus virtutibus & vitiis tribuuntur. Horum igitur actuum, quom neuter respectum ad aliquam potentiam dicat, sed tantummodo ex objecti, quod respicit vel abstractione vel ad certam materiam determinatione, describatur, facile quivis intelligit, eorum denominationes potius ad explicationem, nominis Actus, quàm ad veras ejusdem divisiones spectare. Uterq; namq; Actus dicitur, quatenus objectum quod antea in potentia erat ad cognosci, postea actu ab intellectu consideratur vel abstractè & formaliter, vel determinatè & ad certum subjectum accommodatum.

4. Distinctio, quæ Actus alius dicitur esse primus alius secundus, valde est æquivoca: Accipitur enim vel respectu dignitatis: Atq; tum actus primus est Ens primum, Actus perfectissimus & purissimus. Sic vero gr. Deus est actus primus. Secundus verò est, Ens dependens: Creaturæ verò sunt actus secundi, ut quæ omnes habent esse dependens; à primo illo & perfectissimo Ente. Vel dividitur ita Actus respectu successionis & ordinis, ut primus dicatur qui præcedit, qui hunc sequitur, secundus, & si præterea alius hunc sequeretur, tertius dicendus foret, adeoq; per consequens quartus, quintus etiam daretur. Vel respectu exercitii Actus primus dicitur principium, (Illud principium sit forma rei s. ipsa Entitas) Operationum quæ fiunt à subjecto operante. Actus secundus autem sunt ipsæ operationes productæ à subjecto per principium illud operandi. Sic ratio est actus primus, ratiocinatio

natio actus secundus; illa enim hujus principium, hæc istius operatio: sic quia scientia est principium contemplationis; risibilitas risûs, facultas loquendi loquelæ, posse cale fieri, & cale fieri, ista dicuntur Actus primi, hæc actus secundi. Hæc divisio ita explicata Actum primum & potentiam, itemq; actum secundum & actum arguit Synonyma; siquidem per actum primum nihil aliud intelligitur, quam vis & facultas ad agendum vel patiendum nondum se exerens, atq; id ipsum est potentia, ut patet ex annot: *ad Theor. 2. & 3.* Actus autem secundus est eadem vis in ipsa actione vel passione occupata; Atq; id ipsum etiam de actu dicendum. Synonyma igitur cum sint, novam Actûs divisionem constituere minime possunt. Si Averrois arrideat sententia, quæ statuit Actum primum esse formam sed ut otiosam; actum secundum eandem formam, sed ut operantem, Respondemus, istam esse divisionem in status tantum seu modos diversos, non autem in res diversas.

Ποτῖς ἂν  
I.

### Potentia Actu prior est.

Potentia & actus dupliciter considerari possunt; vel prout sunt relata atq; tum sunt simul tempore, definitione, cognitione & naturâ. Hoc quia neutrum alterius causa est. Vid: Jacobi Mart: *Exercit. Metaph. l. 1. exerc. 13. Theor. 4.* Illud quia relatorum uno cognito, cognoscitur & alterum; Est de natura relatorum, per se mutuò cognosci & definiri. Istud quia simul existunt: vel prout sunt distinctæ affectiones Entis, quarum altera notat vim, s. virtutem aliquid agendi vel patiendi; altera virtutis illius exercitium & perfectionem: Altera se habet ut terminus à quo, altera ut terminus ad quem; altera rationem principii, altera rationem principiatû; altera ut inelaboratum, altera ut elaboratum, quibus fermè exemplis Exc: Dn. D. Jac: Mart: *in disp. miscell. l. 2. disp. 3. theor. 4.* rationem, habitudinem & essentiam potentia &

C 3

Actus

Actus declarat. Atq; cōsideratis hisce, facile quivis videt potentiam Actum præcedere, tum prioritate temporis, quam requirunt superius adducta exempla potentia rationem explicantia. Neq; actus & potentia hîc considerantur ut sunt in diversis subjectis, sed in uno. Neq; ut Actus Ens potentia deducit in actum; sed ut actus est quædam perfectio potentia seu facultatis quæ erat in subjecto ad agendum vel patiendum. Sicq; etiam generatione potentia Actu prior est, quæ sanè prioritatem temporis infert. Quicquid enim generatione est posterius illud utiq; & tempore est posterius. Atqui Actus est posterior generatione. E. & tempore. Deinde etiam actu prior est potentia prioritate naturæ. Ea enim naturâ priora sunt, quæ ejusmodi sunt, ut sine aliis esse possint, non item illa alia sine eis. Vid. *Arst: l. 5. Metaph: c. 11. Scheibl. l. 1. Metaph: c. 26. Tit: 4. Art: 2. num: 22.* Atqui potentia potest esse absq; actu; Actus vero semper præsupponit potentiam. Hinc porro colligitur esse eam priorem prioritate cognitionis. Quicquid enim est prius naturâ, illud etiam prius est cognitione simpliciter, dicente Scheibl. l. citat: num: 35. Atq; hæc nobis sufficiant ad defensionem ordinis nostræ disputationis, neq; nobis incommodat, quod actus prior sit potentia perfectione, hæc enim ad ordinem doctrinæ nihil facit, facilior siquidem Methodus est docendi cum ab imperfectioribus ad perfectiora procedas.

2.

Eadem res potest esse simul & potentia & Actus.

Videtur hujus canonis veritati obstare, quod potentia & Actus inter disjunctas recensentur Entis affectiones, quia sc: opposita sunt, opposita autem se invicem expellunt. Si verò se invicem expellunt, concidit regulæ assertio. Deinde si Actus & potentia uni eidemq; Enti competunt, utique non merentur dici affectiones disjunctæ. Quod tamen  
 theor:

theor.: sufficiens affirmavimus & firmis rationibus evicimus Regulæ igitur ut constet veritas, duo imprimis notanda (1.) Non universaliter verum esse, opposita se mutuo expellere, ita sc: ut ubi unum oppositorum adest, alterum adesse negetur. Possunt equidem opposita simul consistere in eodem subjecto cum diverso tamen respectu, Sic idem subjectum (Isaac) potest esse pater & Filius, sed sub diverso respectu. Filius nempe respectu Abrahami, pater vero respectu Jacobi. Dicis: Actus & potentia opponuntur sibi invicem privativè non relativè. Resp. Aliquo modo privativè non autem totaliter, quod inde patet, quod præsentate privatione habitus planè adesse non possit, Potentia autem & Actus etiam simul consistere possunt, quod pluribus exemplis evincitur: In Deo est eodem momentò & potentia creandi & ipse actus creationis, potentia conservandi & conservatio (actus) ipsa: potentia ridendi (risibilitas) & actus (risus) ipse: In equo potentia hinniendi & ipse etiam hinniendi actus; Non igitur omnimodè privativè, sed aliquo modo privativè, aliquomodo etiam relativè sibi opponuntur; illud quia potentia ab actu sejuncta semper habet conjunctam privationem; hoc quia posito Actu necessariò præsupponitur potentia, ut infra patebit, axiom: 4.

Affectiones Entis disjunctæ duplicis sunt generis; Aliæ enim tales sunt ut utraq; pars diversis numero Entibus tribuatur aded ut quæ de hoc Ente dicatur, de altero dici non possit. v.g. Finitum & infinitum. Cui enim Enti tribuitur finitas, ei infinitas nullo modo tribui potest. Idem est in dependentia & independentia; Creatore & creatura Aliæ verò tales sunt ut utraq; pars convenire possit uni Enti sub diversâ tamen consideratione, atq; diverso respectu. Sic Ens idem potest esse & causa & causatum, sed cum respectu ad diversa objecta: Eâdem ratione idem Ens potest esse & actus & potentia, sed non sine diverso respectu.

3.

## Quodlibet potest fieri è quolibet.

Non per potentiam activam aut naturalem, sed per potentiam passivam & obedientialem potest è quolibet. Hoc est ut Excell: D.D. Calov. Explicat: primum independens principium, è quovis possit producere quodvis, sed quousq; non implicatur contradictio. Infinita sc; potentia divina potest è quolibet quemlibet producere effectum, non implicantem contradictionem. Potest saxa in aquam, aquam in vinum, hominem, brutum, statuam salis mutare, potest virginem parere facere illas à virginitate, potest corpora eadem numero revocare (illa igne, s. aqua perierint s. quocunq; alio modo computruerint, quæ omnia nullam implicant contradictionem, licet rationi nostræ pugnare videantur. Non autem potest tempus elapsum revocare, quod contradictorium est, non potest peccare, mori, quæ potentiam passivam, adeoq; impotentiam quandam inferunt, & imperfectionem, quæ omnis à Deo exultat,

4.

## Ab esse ad posse valet consequentia, non Contra.

Hic canon ab aliis sic profertur: ab Actu ad potentiam valet consequentia; sed contra à potentia ad Actum non valet consequentia. Nempe quicquid existit illud præsupponit potentiam existendi fuisse & esse in subjecto. v. g. si homo est, possibile utiq; fuit hominem esse, impossibile enim si fuisset utiq; nunc non esset. Esse enim & non posse esse contradictionem implicant. Duo autem hic imprimis dicuntur. Primum est, ab esse ad posse esse, valere consequentiam. Alterum à posse ad esse, non valere consequentiam. Sicut n. verum est. Hæc res est E potest esse; ita falsum: Hæc res potest esse. Se

se. E. est. Licet enim in hoc vel illo loco possit esse domus, statua,  
pyramis, non tamen necessario sequitur, ibi esse domum, statu-  
am, pyramidem. Utrumq; axiomatis membrum notentur  
seqq. 1. Posterius membrum tantummodo procedere in  
enunciationibus affirmativis: In negativis enim à posse ad  
esse valet consequentia. Sequitur enim Centaurus non po-  
test esse E. non est. Dicitur non procedit: homo potest non  
esse E. non est; Petrus potest non ambulare. E. non ambulat  
R. non sunt negativæ, sed infinitæ, adeoq; affirmativæ istæ pro-  
positiones 2. Prioris veritas ut constet accuratè observan-  
da est, distinctio inter esse actu vel potentiâ & actum vel po-  
tentiam. Vid. Theor. 1. hujus exerc: Deinde habenda est ra-  
tio ejusdem temporis in antecedente & conseq. diversa liqui-  
dem tempora consequentiam annihilant, qua propter si in  
antecedente tempus præteritum notatum fuerit, idem in  
consequenti repetendum erit, si de futuro sit antecedens, con-  
sequens de eodem loquatur, oportet.

---

*Ad Præstantissimum Dn. Respondentem Dispu-  
tationis auctorem, commensalem & Amicum  
suum per dilectum*

**V**ersibus hinc tribus (*numero Deus impar e  
gaudet*)

Comprecor, ut pergas cæptis instare secun-  
dis:

Sic quondam propriis decus ista penatibus  
addent.

*Præses:*

Ad  
Eximium Dn. Auctorem Respondentem  
Convictorem multis modis charissimum.

PER cineres tandem sopitus, ut emicat  
ignis:

Promicat ingenii flamma ita Amice, tui.  
Hactenus assiduis studiorum tecta latebris  
Jam sumens vires alta & aprica petit.  
Ne dubites, itidem quin flabro agitata la-  
borum

Lucidior mentis flamma futura fiet.

Occupatissimus

scribebam

M. Eberhardus Müller.

Sphalmata Typographica  
sic corrigenda.

A. 3. lin. 24. eum adde in. lin. 25. rationem lege actionem. A. 4. lin. 17.  
hoc lege illud. l. 15. qua lege qua. A. 5. l. 3. hoc lege hic. l. 9. lege virtutis  
l. 12. lege affectiones. in. antepenult. p. tenia adde concretum minimè  
& ad exprimendam vim vocis potentia. A. 7. lin. 2. neq; per adde con-  
junctionem, omne Ens est actus & potentia, sed per. lin. 22. lege defi-  
gnant. lin. 24. quod adde ab. A. 8. lin. 11. lege Aristotele. B. 1. lin.  
5. lege objectiva lin. 6. lege rebus. lin. 10. lege Zabarell. lin. 32. videtur  
adde enim lin. 34. lege Quando. B. 2. lin. 4. abjice l. lin. 5. lege jun-  
cta lin. 10. lege neq; lin. 14. lege: involvit. lin. 21. lege quia. B. 3.  
lin. 16. aliquis interpone i lin. 23. lege: passiva lin. 24. ad esse adde  
non lin. 28. reddere post, adde ut, lin. 30. pro enim lege in B. 4. lin.  
2. lege affirmatis lin. 7. lege efficere. B. 5. lin. 25. quod lege quoad B. 6.  
lin. 3. lege patiens lin. 23. lege contradistinguuntur, B. 8. lin. 4. lege  
potentias lin. 24. lege conveniat.

Coll. diss. A. 123, mit. 4